

tum millia arietum cum velleribus suis, IV Reg. III, 4. Prætorum ergo opes erant non auri, argenti, sed pecorum et pecudum; unde pecunia, que postea signata est effigie pecorum, quibus successit, nomen accepit. Ita Varro, lib. IV *De Lingua Latina*, et Plinius, lib. VIII, cap. III; nimirum vivo adhuc mundo vivæ placebant divitiæ, et florentes crescentesque. Jam vero senescenti ac prope mortuo placent mortuæ, sepulchreque æris, auri et argenti: qua in re, ait Nysseus, limites a Deo præscriptos transgressus est homo, exentians et eruderans terram, creans que Deus voluit abscondi.

Porro, vanitas propria servorum et ancillarum est, quod hero serviant, non ex amore, sed ex metu, vel spe mercedis et lucri. Rursum, quod servili sint ingenio, magnaque egeant heri cura et assidua gubernatione, juxta illud *Ecl. xxxiii, 25*: « Cibaria, et virga, et onus asino; panis, et disciplina, et opus servo. Operatur in disciplina, et querit requiescere; laxa manus illi, et querit libertatem. Jugum et lorum curvant collum duram, et servum inclinant operationes assidue. Servo malevolò tortura et compedes; mitte illum in operationem, ne vacet. » Insuper quod ad oculum duntaxat serviant, ac sæpe sint infidi ac furaces. Hæc facit insignis gnomo R. Hillel in *Pirke Avoth*, id est *Sententiarum Patrum*, cap. II: « Qui multiplicat carnem, multiplicat vermes; qui multiplicat divitias, multiplicat cum eis dolores; qui mulieres multiplicat, multiplicat fascinationes; qui multiplicat ancillas, multiplicat fornicationem; qui multiplicat servos, multiplicat fures; qui multiplicat legem, multiplicat vitam; qui studium multiplicat, pariter sapientiam multiplicat; qui multiplicat consilium, multiplicat prudentiam; qui multiplicat iustitiam, multiplicat pacem; qui verbum legis acquirit, vitam in altero sæculo generat eternam. »

Allegorie S. Hieronymus: Christus, inquit, qui verus est Salomon in aula, id est in Ecclesia sua, habet « servos qui habent spiritum timoris in servitute, et spirituali magis desiderant, quam tenent. Ancillas vero eas animas appellat, que adhuc corpori terrene sunt deditæ; vernas, qui servos et ancillas antecessunt, necdum tamen libertate donati sunt, nec nobilitati a Domino. Sunt autem alii ad instar boni et ovium, propter opem et simplicitatem, qui absque ratione et scientia Scripturæ laborant quidem in Ecclesia, sed necdum ad id pervenerunt, ut homines esse mereantur, et redeant ad imaginem conditoris; de quibus dicitur: Homines et iumenta salvabis, Domine. » *Psalm. xxxv, 8*.

8. COACERVAVI MIHI ARGENTUM ET AURUM, ET SUBSTANTIAS REGUM AC PROVINCIARUM. — Septuaginta, *v. 22*, id est collegi, coegi, congressi ubertim; Aræneus, aggregavi; Chaldæus, auri et argenti thesauris congregavi; conversiveque ex auro postulo stantias et pondera æqui et boni. Censum (vel pecunia,

ut vertunt Complutenses) quoque regum et provinciarum mihi in tributum illati sunt. Aurum postulat est serpius igne excoctum, adeoque purgatissimum et optimum; hoc enim crebra ignis actione tubercula et postulas contrahit, uti docent Sabellicus ad cap. XLV Suetonii in *Nerone*, et Cujacius, lib. VII *Observ. cap. xxxix*: de quo dicitur *Psal. xi, 7*: « Argentum igne examinatum, purgatum septuaginta, » id est multipliciter, quale est aurum obryzum.

Quæres, quæ et quantæ fuerint opes Salomonis? Respondeo id colligi posse primo, ex eo quod illæ ex singulari Dei promisso et dono et obtigerint: dona autem Dei sunt eximia, superantque humana omnia. Audi Deum ad Salomonem loquentem: « Divitias autem et gloriam dabo tibi, ita ut nullus in regibus, nec ante te, nec post te fuerit similis tui, II *Paral. I, 12*; que verba licet aliqui limitent ad reges Israel, alii aliis modis, tamen ipsa per se illimitata et absoluta sunt. Unde noster Vilalpandus multis ostendit Salomonem omnibus omnino regibus et monarchis fuisse opulentiorum: de quo mox plura.

Secundo, ex eo quod David pater ejus pro fabrica templi reliquerit ei « mille millia talentorum argenti: » mille millia, id est decies centena millia; et « auri centum millia talenta. » Talentum Hebræorum, ut ostendi in fine Pentateuchæ, duplo majus erat talento Attico; nam continebat « tria millia siclorum, » hoc est 125 libras auri, quæ faciunt « duodecim millia coronatorum Francicorum. » Addit noster Sallianus in *Annal. c. et quingentos. »* Unde hæc Davidis talentorum auri et argenti millia censet confecisse 2672 milliones, ac insuper 125 millia nummorum aureorum. Quibus si addideris 72 milliones ac 926 millia et 666 aureos, qui a populo liberaliter dati sunt I *Paral. xxix, 4*, hæc duæ summæ ascendent ad bis mille septingentos et 43 milliones, 31 millia et 666 aureos. Unde Budæus, lib. IV *De Assæ*, censet has Davidis opes, Salomoni relictas, fuisse decies majores quam Darii ultimi regis Persarum, quas eo victo occupavit Alexander. Durius enim tantum habuit 87 millia talentorum; quas autem Salomoni congregavit, in infinitum ire. Sane hæc avidis opum et millionum summa videtur pene incredibilis; continet enim tantum auri, quantum vix est in tota Europa; ac Iustum Lipsium meditantem opus *De Amplitudine imperii Hebræorum*, quasi antistrophon alteri quod ediderat de magnitudine imperii Romani, ab eo deterruerit, cum non caperet tantam opum magnitudinem; quocirca aliqui opinantur talenta jam recensita fuisse minima, quibus favent Eusebius, lib. IX *De Præpar.*, sub finem: « Talentum autem dico, inquit, quod sicium appebant. » Siclus habet pondus quatuor drachmarum; quare si argenteus erat, valebat quatuor Julios sine regalæ Hispanicæ; sin aureus, valebat quatuor coronatos Francicos, hi enim pondus habent quatuor

Quæritur
opes Sa-
lomonis
Resp.
primo.

drachmarum. Verum sic summa hæc Davidis exilis fuisset, nisi dicas siclos hos non fuisse simplices, sed duplos, imò decuplos, quomodo regalis Hispanicus, si decupletur facit Philippicum, dalerum vel aureum. Hæc David Salomoni reliquit pro templo; pro aula vero et propriis usibus et amplissimis et continuis hostium, cum quibus per omnem vitam pugnavit, semperque victor exstitit, spoliis; item ex redditibus cæterisque erogationibus plurima addidit, adeo ut Josephus, lib. VII *Antiq. cap. XII*, scribat: « Tantas divitias hæredi reliquit rex David, quantas nullus alius rex vel Hebræorum, vel aliarum gentium. » Subdit Hyrcanum pontificem ex sepulcro Davidis accepisse tria talentorum millia; Herodem deinde magnam auri vim, etc., adeo ut nonnulli censent cum Davide sepultos fuisse mille milliones.

Tertio, ex auro et opibus, quas ei deferebant naves ex Tharsis et Ophir, de quibus dicitur III *Reg. ix, 26*; II *Paral. VIII, 17*, et III *Reg. x, 14*: « Erat pondus auri, quod afferbatur Salomoni per annos singulos, sexcenta sexaginta sex talenta auri, excepto quod negotiatores afferbant, » ut videantur illa sexcenta sexaginta sex talenta auri ex ipsis fodinis per Salomonis servos quotannis erui solita; alia vero, quorum nullus numerus, negotiatione et commercio earum gentium, quarum littora legebant Salomonis naves, Hierosolymam advecta, ita Pineda.

Quarto, ex tributis et vectigalibus, quæ pendebant ei quotannis tum singule tribus Israel, quod aliqui ex III *Reg. ix, 15*, conjectant fuisse tantumdem, quantum Hiram rex Tyri dedit Salomoni, scilicet 120 talenta auri, non quod tantum penderent singule tribus (hoc enim immane fuisset et impossibile), sed simul universe; tum reges omnes circumcirca illi vectigales et subditi, II *Paral. VII, 8*, et III *Reg. IV, 21* et 24.

Quinto, ex donis et muneribus; nam Hiram dedit ei centum et viginti talenta, non quotannis, ut aliqui putant, sed semel. Regina Saba dedit ei totidem, III *Reg. x, 10*, et II *Paral. xix, cap. ix, 23*, dicitur: « Omnes reges terrarum desiderabant videre faciem Salomonis, etc., et deferebant ei munera, vasa argentea et aurea, et vestes et arma et aromata, equos et mulos per singulos annos. »

Sexto, ex sapientia Salomoni indita, qua census annuos agrorum, pecorum, reddituum, negotiationum, etc., mira industria angebat præter communem aliorum morem; item ex summa pace, que in regno fuit perpetua per annos quadraginta. Hoc est quod de Sapientia dicitur, *Sapient. cap. VII, 18*: « In operibus manuum illius honestas (id est divitiæ) sine deflectione. » Et *Proverb. VII, 18*, ait ipsa Sapientia: « Mecum sunt divitiæ et gloria, opes superbæ et iustitia. »

Septimo, ex fabricis quas exstruxit. Certe aliqui opinantur eum in templum insumpsisse tria millia millionum auri. Fuit enim hoc templum mundi

miraculum, ac quantum homini facere licet, Deo digna domus, et inter mortales gloria thronus. Hinc David, vovens pro fabrica templi, reliquit Salomoni « tria millia talenta auri de auro Ophir, et septem millia talentorum argenti probatissimi ad deaurandos parietes templi, » I *Paral. VII, cap. xxix, vers. 4*. Quid ergo pro ipsa tante fabricæ machine eidem reliquisset credemus? Item ex sumptibus magnificis aulæ et familie pene innumerabilis, versu precedenti recensitis, atque operatorum. Aluit enim, per omnes fabricæ templi et domorum suarum annos, triginta millia Israelitarum cedentium ligna in Libano, « et septuaginta millia eorum qui onera portabant, et octoginta millia latomorum in monte, absque præpositis qui præerant singulis operibus, numero trium millium et trecentorum. » Erant hi Tyrii, quos ei submiserat Hiram rex Tyri, cui primum Salomon præbebat « coros tritici viginti millia in cibum domui ejus, et viginti coros purissimi olei per singulos annos, III *Regum v, 11* et sequentibus. Insuper alebat equorum 52 millia cum suis equis, rhedis et carribus, uti dixi vers. precedenti.

Denique noster Vilalpandus, tom. II, lib. V, cap. XLV, usque ad III, singula obventionum Salomonis capita prudenter supputans, Salomonis opes regum et monarcharum Assyriorum, Persarum, Græcorum, Romanorum etiam redditibus et opulentie confert et præfert, adeo ut æstimet Salomonis censum quadragies superasse censum regum Persarum. Salomon enim, inquit ipse, quotannis colligebat ex tributis 2226 talenta ex Ophir, præterea 450 talenta, que simul juncta, faciunt plus quam quadraginta quinque milliones aureorum. His junge vectigalia portitorum, pastionum, negotiatorum, insuper spolia plurima et maxima, quæ David per omnem vitam pugnantem retulit ex hostibus. Addunt aliqui annuum censum capitacionis, quo quisque quotannis dimidium sicli ex lege dabat templo: hunc enim Judæi singuli pendebant, tum qui in Judæa erant, tum qui in toto orbe erant innumeri. Verum hic census cedebat pontifici et templo, non regi et aulæ.

Noster Lorinus, singulos Salomonis proventus præcise recensens, supputans et definiens, tandem concludit atque: « Horum omnium que in omni vita sua Salomon habuit, quorum Scriptura certum numerum designavit, summa est ter mille nongenti tres milliones, et septingenta sexaginta quinque millia, et nongenta viginti quatuor setuorum monete Romanæ argenti: quibus si addamus mille quadringenta quadraginta tria talenta per triginta sex annos multiplicata, erunt quater mille sexcenti octoginta sex milliones, quæcenta triginta tria millia, centum viginti quatuor. Præter hæc vero, ut colligitur ex dictis, magnam valde aliam summam habebat ex aliis multis rebus collectam, quarum iniri summa non potest.

ut ex vedigaliis, negotiationibus, muneribus, qualem et quantum nullus unquam monarcha vel republica habuit. »

Verum præcisâ hæc opum Salomonis supputatio difficulter ex Scriptura probari potest, ac nonnulla incerta, imo minus probabilia pro veris et certis supponit, ut quod litram quotannis dedit Salomoni 120 talenta, cum verus sit semel tantum dedisse: quod singule tribus totidem talenta quotannis solverint Salomoni, cum verus sit universas simul non amplius persolvisse, etc.

Sufficit ergo dicere in genere opes Salomonis fuisse maximas et innumeras, utpote que representant opes spirituales Christi, qui verus est Salomoa. Hæc enim maxima sunt, puta gratiæ, dona, virtutes, ac coronæ celestis gloriæ innumera, quas Christus tum in se habet, tum in innumeros Sanctos, Prophetas, Apostolos, Martyres et Virgines partitur et distribuit. Hinc Salomon dicitur fuisse, ut tanta esset abundantia argenti in Jerusalem, quanta esset lapidum, III Regum 5, 27, ac collegisse ut aurichalcum aurum, et ut plumbum complevisset argentum, Eccli. XLVII, 20; et rursum II Paralipom. cap. ix, 20: « Argentum, inquit, in diebus illis pro nihilo reputabatur, » quæ licet per hyperbolem dicantur, tamen immanes Salomonis fuisse opes significant. Quo evasit tanta opum copia? Abiit, evanuit instar fumii, imo ex omnibus illis Salomon moriens ne obolum quidem secum detulit. Ille nunc, cupidi aurum auro cumulate, argento cistas opplete, ac seitate hæc omnia vobis in morte relinquenda, nec quidquam nisi virtutem et beneficentiam vos comitariam ad tribunal Christi.

Et substantias. — In Hebræo סְגוּלָה *segula*, id est thesaurus et res pretiosas, ut sunt gemmæ, myrmæ, monilia. Hæc Septuaginta vertunt, *opes regum*; Syrus, *possessionem regum*; Arabicus, *mundos regum et regionum*; Vatablus, *mandatum pretiosum*; Tigurina, *peculium regum*; alii, *thesaurum desiderabilem*; Campensis, *quo proprie pertinent ad reges et provinciarum dominos*; Arias, *peculium regum, regalium ærariorum gaza, et reconditoria altorum principum*. Ergo Salomon a regibus et provinciis accipiebat non vulgaria, sed eximia et optima queque, puta aurum præstantissimum, argentum nigrissimum, gemmas pretiosissimas, ac quidquid apud ipsos rarum, eximium et pretiosum erat. Hinc de Israel ait Deus: « Eritis mihi in peculium (Hebræa, *in segula*) de cunctis populis, » Eccli. cap. xix, vers. 5. Vide ibi dicta, et I Petr. cap. ii, vers. 9, ad illa: « Vos genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis. »

Porro Salomon coarceperat hæc opes: primo, junior, ex dono Dei, unde *coarceperat* significat ingentes opum æceros et cumulos ab eo collectos; deinde senescens ex avaritia, ait Nyssenius, imoque ex nechie, id est substantia a Deo data, stimulante cupiditate fecit *kenes*, id est coarceperat

tionem et corrasionem opum, opprimens subditos per nimia tributa, quæ deinde in suos adulatores et parasitos, ac in milia uxores et concubinas, ceterumque mensæ et voluptatum suarum luxum profundebat: qua in re peccavit contra legem Dei de regibus scientibus, Deuter. cap. xvii, 17: « Non habebit uxores plurimas, quæ alliciant animum ejus; neque argenti et auri immensa pondera. » Atque hæc de causa decem tribus ob nimias ejus exactiones rebellaverunt, ac rejecto ejus filio Roboam, sibi Ieroboam regem constituerunt, III Reg. cap. xii, vers. 4 et sequentibus: « Pater tuus, inquit, durissimum jugum nobis imposuit, » etc.

Denique vanitas propria divitiis est *prima*, quod aurum et argentum nil sint nisi terra rubra et alba, ut ait S. Bernardus, cui sola hominum æstimatione dat pretium, quæ tamen coarceperat, id est in æceros redigitur, ut ex ea conflati nummi id est in æceros redigitur, nec ulli sint usui vel commodo, sed in tenebrosis quasi ergastulis compacte retruseque delitescant. Unde D. Chrysostomus, orat. 4, disputans cum Alexandro, ait gentium avarum opes « non congregare, sed dispendia facturum; aut divitiis congregatis usurum, sed vinetas et infrugiferas custodire opes, revera carceribus, aut divitiis congregatis usurum, sed vinetas et infrugiferas custodire opes, revera carceribus. » Et Nyssenius, homilia 4, argens *coarceperat*: « Libenter, inquit, scirem quod emolumentum redidit ad eum qui hæc congregat materiam, et illud cernit in universo, quod nunc cernit in exilio, neque anime ullam affert lucrum. Numeravit, reposuit, sigillo obsignavit; cum ab eo peteretur, negavit, et cum ei fides haberetur, etiam pejeravit. Hæc est beatus, hic est finis ejus, quod in ea ponitur studii. »

Secunda, quod mille curis, timoribus, angoribus divitem cruciet, ne quis eas surripiat; ne naufragio, incendio, rapina pereant. Unde S. Gregorius: « Nolite, ait, amare quæ amata inquinant, possessa onerant, amissa cruciant. » Et S. Basilium apud Antonium in *Melissa*, part. I, cap. xxxiv: « Quidquid vides (o avarus, inquit), quidquid imaginaris, aurum est. Hoc tibi dormientium somnium, et vigilantium cogitatio est. Nam ut qui per insaniam delirant non ipsos res vident, sed quæ eis afflictio suggerit, imaginantur: sic animus tibi avaritia detentus nihil quam aurum et argentum videt, et suavius quidem aurum quam sol conspectui tuo se offert. » Audi et Senecam in *Hercule Cæleo*, Act. 2:

O si paleant pectora ditam,
Quantos intus sublimis agit
Fortuna metus! Bruiat, Coro
Pulsante fretum, mitor undæ est.
Pectora pauper securâ gerit.

Tertia, quæ cupiditatem augeant in immensum; qui enim lucratus est centum aureos, mox capit lucrari ducentes, illico trecentes, quadringentes, mille, ac deinde millionem non unum, sed plures, juxta illud:

gentos, mille, ac deinde millionem non unum, sed plures, juxta illud:

Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit.
Quo plus sunt pota, plus sitiuntur aqua.

Quarta, quod opes gula, luxurie, superbiæ, rapinæ omniumque scelerum sint occasio et stimulus, ut Salomoni fuerunt: nam ab opibus itur in luxum, a luxu in luxuriam, ab hac in heresim, idololatriam et atheismum. Audi S. Chrysostomum, opum vanitatem, imo perversitatem graphicè depingentem: « Divitiis dico luxus omnis ac nequitie parentes, intemperantiæ omnis ac libidinis patronas, vitii omnis inventrices, exitiosarum omnium voluptatum adjutrices, continentie hostes, pudicitie inimicæ, clandestinas virtutis omnis fures, » etc. Sic recitans Chrysostomus verba D. Damasceni in *Parallels*, lib. II, cap. xvii, ex Basilio sic ascribit: « Quosque tandem studio aurum erit animarum laqueus, mortis hamus, peccati illecebra? Quosque divitiæ bellorum parentes, ob quas arma cuduntur, enses accuntur? Ob eas causas cognati naturam non agnoscent, fratres infesto ac sanguine oculo sese intuentur. Propter opes solitudo prædones alit, mare piratas, urbes sycophantas? Quis mendacii pater est? quis falsæ conscriptionis artifex? quis perjuri procreator? Nonne opes? Quis vobis ea, quæ vestra sunt, ad perniciem vestram convertit? Ad subsidium vite, an ad vitiorum materiam et adjuvamentum opes concessæ sunt? » etc. Et iterum ex eodem: « Vide ne cum opes innumeris laboribus tibi cumulaveris, peccatorum materiam tibi atque aliis compares, sique duplicem penam tibi accersivisse comperiaris, nempe tum ob eos quibus abs te injuria illata est, tum etiam ob eos quibus vitiorum ansam et viaticum subministrasti. »

Vide et S. Basilium, homilia in *Divites avaros*, et Isidorum Pelusiotam, lib. II, *epist.* 146, ubi citat illud Isocratis: « Divitiæ vitii potius quam virtutis sunt ministræ, ut quæ licentiam quidem inertes afferant, juvenes autem ad voluptates cohortentur. » Et mox: « Apud veteres hoc in more positum erat, ut post convivium lyram caperent, illudque canerent: O divitiæ, utinam nec in terra videamini, nec in mari! » Idque confirmat exemplo Aristidis, Platonis, Epaminondæ, ac Crateris qui opes suas senatui cedens dixit: « Crates Craterem libertate donat. »

Quinta, quod hominem periculo mortis presentis et æternæ exponant: multi enim divites occiduntur ob pecunias, ut illas occidens surripiat; multi pariter ob eandem damnantur, unde Christus ait: « Facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum cœlorum, » *Matth.* cap. xix, 24. Quid ergo profuit Salomoni omnis hæc opulentia? imo quantum obfuit, cum in periculum salutis æternæ eum deduxit, imo reum gehennæ effecit? Quanto salius

Salomon fuisset pauperior Iro, quam distor Cyro? Quam mallet nunc medicasse cum Lazaro, quam ingurgitasse se cum Epulone! Fuit enim ipse opum gurgis, et patrimoniolorum tot regum et populorum hec. Meminerint principes qui, ut se ditent, nimis tributis populum gravant, se et pauperum sanguinem sugere, ac in tribunal Christi velut homicidii reos accusandos fore, et ad mortem æternam damnandos. Nam, ut ait *Eccli.* cap. xxxiv, vers. 25: « Panis egentium, vita pauperum; qui defraudat illum, homo sanguinis est. Qui aufert in sudore panem, quasi qui occidit proximum suum; qui effundit sanguinem, et qui fraudem facit mercenario, fratres sunt. »

FECI MIHI CANTORES ET CANTATRICES. — Hebræa, פְּרָשָׁרִים *primesaroth*; quod si per sin scribitur, significat *principes et principes*. Verum hiescribitur *pereschin*; unde significat *inspectores et inspectrices*, item *cantores et cantatrices*, qui jugiter notas musicas et rem canendam inspicunt. Addunt aliqui significare *instrumenta musica*, his enim eam cantores. Unde Pagninus vertit, *feci mihi diversa instrumenta musica*. Et noster *Fineda per cantores et cantatrices*, ut proprie vertit Noster, accipit omne genus instrumentorum musicorum: quippe idem nomen substantivum, variatum per diversa genera, notat ejus rei, quam nomen significat, omnino diversitatem et universitatem. Cum enim Hebræi non habeant nisi duo illa genera, masculinum et femininum, qui utrumque generis allicujus rei dicit, rem illam universam comprehendit, *Isaia* cap. iii, 1: « Auferam a Juda validum et fortem, omne robur panis, et omne robur aquæ. » Quem locum sic legit Cyprianus, lib. I *Testim. ad Quirinum*: « Auferam valentem et validum, valentiam panis et valentiam aquæ. » Berzellai ait, II Reg. cap. xvii, vers. 3: « Numquid audire possum ultra vocem cantorum et cantatricum? » ubi Chaldaeus Complutensium, *audiam multam vocem cithararum et hymnorum*; ubi ceteri cantores et cantatrices accipi pro instrumentis musicis.

Porro David ad cultum Dei in templo, et Salomon ad suas delicias in mensa et aula, hæc fecerunt musices instrumenta, psalterium, organum, citharam, libiam, tympanum, deachordum, tinnabulum et cymbalum, chordas, tubam, fistulam, sambucam, quam nonnulli vocant *harpam*, alii *buccinum*, alii *tubam*, ut *sambuca* dicta sit quasi *שׁוּבָה* *scenes*, id est solis, buccæ, id est tubæ, quod buccæ inflata instar tubæ clangeret. Melius alii sambucam dictam volunt, quod ex sambuco arbore, vel potius arbusto fistuloso conficeretur, uti indicat S. Hieronymus ad Bardanan. Optime alii sambucam censent esse vocem Hebræam. Nam *Dezilis* cap. v, vers. 8, *sabbacha* quasi *sambuca* (littera enim *m* in dages asorberetur, et euphonice causa in *b* vicinam labialem commutatur et liquescit); radix enim *קַבֵּץ* *sabach* significat impletore, implicare, perplectere, una

alteri inseritur, et jam adducitur, jam a sambucino laxatur.

Verum plane et genuina, cantores et cantatrices accipio pro viris et feminis, sive juvenibus et puellis, canore canentibus tum voce, tum instrumento musico: simul enim dum ore canunt, manu pulsant organum, citharam, psalterium, aliudve instrumentum; itaque duplex pleneque fit harmonia ab uno eodemque cantore: quod si plures idem fabricant concinane et harmonice, fit symphonia admirabilis et celestis, quae audientes rapit et mira oblectatione demulcet. Porro principes solent habere musicos in aula ad manum, ut quoties lubet jubeant eos canere, atque hac illorum modulatione curas suas et merores dispellant; praesertim vero iis utuntur ad mensam vel a mensa, hicque vetus fuit mos, praesertim Syrorum et Aegyptiorum, ut pueros comptulos compositoque canentes mensae adhiberent, qui sui tum forma et habitu decoro, tum voce modulante conviviarum aures aequae ac oculos pascerent. Unde Ecclesiasticus, cap. xxxii: « Gemmula carbutculi, inquit, in ornamento auri, et comparatio musicorum in convivio vini. Sicut in fabricatione auri signum est smaragdum, sic numerus musicorum in juvendo et moderato vino. » Vide ibi dicta.

Sensus ergo est, q. d. « Feci, » id est comparavi, constitui, disposui, ordinavi, per choros distribuam mihi cantores et cantatrices, qui statiim horis et locis canendo me oblectarent. *Facere enim generale est verbum significans quamlibet actionem, dispositionem, ordinationem.* Rursus « feci » proprie, id est jussi fieri, et dato pretio confici curavi omnium generis instrumenta musica, pretiosa et affabre elaborata, quibus psaltes et psalteria, aeque ac voces canerent, neque recrearent. Unde Chaldaeus vertit, *feci in domo Sinecurii* (melius dixisset, *in aula*) *instrumenta musicales, ut canerent in illis cantores et cantatrices.*

Et CANTATRICES. — Has plane pleneque deliciose et effeminati adhibebant ad cantus delicias: femininarum enim vox mollior est, dulcior et delicatior; quare virorum aures mentemque evirare et effeminare solent. Ita Antoninus Verus Imperator, ait Capitolinus cap. viii *Vitz* ejus: « Adduxerunt secum (e Syria) fidicinas, et tibicinas, et histiones, et scurrasque mimarios, et prestigiatores, et omnia mangipiorum genera, quorum Syria et Alexandria pascerit voluptate. » Sic et apud Hebraeos cantores erant servi et servae. Audi Esdram, lib. II, cap. vii, vers. 67: « Absque servis et ancillis, qui erant septem millia trecenti triginta septem, et inter eos cantores et cantatrices 245. » Similes fuerunt apud Romanos. Unde Plautus in *Sticho*: « Fidicinas, tibicinas, sambucinas (quae sambuca caneretur), advenit secum forma eximia. » Et Livius, lib. IX *Bell. Macedon.*: « Tunc psalteria sambucineque et convivalia ludionum oblectamenta addita epulo. » Similes cantatrices et psalterias tum voce, tum instrumento musico, in de-

licis habuisse reges Persarum docet Xenophon, lib. IV *Pediae*, Curtius lib. V, Athenaeus lib. iii, et Brissonius, lib. IV *De Regno Persarum*, adduntque eas cum cantu junxisse brachiorum gestus, saltus, et numerosos corporis motus, qui sane partem casti erant, imo libidinis illices. Unde Ovidius, *De Remedio amoris*:

Enervant animos cithara, cantusque Iyraeque,
Et vox, et numeris brachia mota suis.

Porro vanitas propria cantorum prima est, quod cantus non sit aliud quam vox et sonus aërem vibrans et transiens: ubi enim sonuit, abiit et evanuit.

Secunda, quod cantores suavitate et varietate modulationis vincantur ab avibus, praesertim a merula et philomela, quae, cum sit avis villis et pusilla, tamen cantu omnes aves et homines superat, ideoque non aliud nisi vox et cantus esse videtur.

Tertia, quod vox puerorum delicata et graeci post paucos annos mulier et crassescat, perdoque suam in canendo delicatam gratiam et venustatem.

Quarta, quod voces puerorum et praesertim feminarum animam effeminant, ac sensum ad impudicos amores invitent. Sicut enim Sirones, sic et meretrices cantu amasos alunt, dementant et perdunt. Unde *Proverb.* v, 3, dicitur: « Favus distillans labia meretricis, et nitidus oleo guttur ejus; novissima illius amara quasi absinthium, et acuta quasi gladius biceps. » Quocirca S. Hieronymus ad *Furiam* mandat, « ut fidicinas et psalteria et istius modi chorum diaboli, quasi mortifera Syrenarum carmina protrahat ex aedibus suis. » Et Nyssenus hic: « O improbum, inquit, et importunum artificium! quam densum acervatim immittit voluptatum fluentum, quod veluti quibusdam duplicitibus torrentibus per auditum et visum inundat animas, ut videatur et audiat malum! Cantus avertit auditum, cantus superat et prosternit oculum. Hinc muliebris sonus per factam cantuum harmoniam, secum sumit cor, et deducit ad vitium. Hinc visus tantum aliqua machina bellica in oculos eo quod in aures cantibus incurrerat jam fracto, incurrens avertit animam. Hujus autem aciei dux est vitium, quod veluti quidam improbus sagittarius duplicitibus telis hominem confodit, ad aures et oculos dirigitur aculeos. » Hinc cantus vanitati opponitur ejusdem veritatis, qua olim christiani in Agape sive convivio Eucharistico, Deo laudes et hymnos canebant, teste Tertulliano, *Apolog.* cap. xxxix, adinstar Christi, qui peracta ultima cena *Evangelizans*, id est *hymno dicto*, cum Apostolis exivit in montem Olivarum, *Matth.* cap. xxvi, vers. 30. Unde Apostolus, *Ephes.* iii, vers. 18: « Nolite, ait, inebriari vino, in quo est luxuria; sed implemini Spiritu Sancto, loquentes vobismetipsis in psalmis, et Hymnis, et Cantibus spiritualibus, cantan-

tes et psallentes in cordibus vestris Domino. » Vide ibi dicta.

Et DELICIAS FILIORUM HOMINUM. — Aliqui delicias has interpretantur « cantores et cantatrices » jam recensitis, ut sit epexegesis, qua exponuntur finis et usus eorum, q. d. Cantores et cantatrices altori rei non serviant, nisi ad delicias ut oblectent delictos hominum filios. Unde Syrus vertit, *feci mihi cantores et cantatrices, et suavitatem in filiis hominum*; Arabicus, *feci mihi cantantes et cantatrices cum voluptate cum filiis hominum*.

Plinius alii quaelibet mensarum, epularum, vinorum, pincernarum, vasorum, lancium, lavacrorum, thermarum, ut ait Chaldaeus, coronarum, tricliniorum sive lectulorum, in quibus veteres disembebant, juvenum comptulorum convivii ministrantium, etc., delicias et lautitias accipiunt, quas graphice depinxit Philo, lib. *De Vita contempti*. Unde pro *delicias* Aquila vertit *ἡδοναί*, id est molities, voluptates, luxus; Symmachus, *ἡδοναί*, id est cibos delicatos, epedias, lautitias. Lyranus pro *delicias* accipit speciosas uxores et concubinas Salomonis, easque plurimas, scilicet mille.

Tropologie, delicias sunt vanae et fallaces, quia vita carnis in deliciis saepe est mors animae, rationis et spiritus. Non ego id assero, sed S. Paulus loquens de vidua, *I Timoth.* v, 6: « Quae in deliciis est, inquit, vivens mortua est. » Qui enim delectatur in carne, nequit delectari in Omnipotente, *Job*, cap. xxvii, 10. Causam dat ibidem S. Gregorius, *XVIII Moral.* cap. viii: « Utrique se amores, ait, in uno corde non capiunt, nec in eo seges superae charitatis pullulat, in quo illam spinam infirma delectationis necant. » Similem causam dat S. Chrysostomus, homil. 13 *in Epist. I ad Timoth.*: « Mortuus est, inquit, quisquis vivens cum deliciis degit. Quomodo modo? Ventri solummodo vivit, sensibus ceteris mortuus. Neque enim aspiciet quae aspicienda sunt, neque audit quae necessario audire convenit, neque ea loquitur quae decet loqui, nihilque in se vivere praeter solam ventris ingluviem indicat: ceterum quemadmodum mortuus quisquam in lectulo jacens, compassis palpebris classicisque luminaribus, nullum omnino sensum habet, ita et hic, imo longe hic deterius quam ille effectus est. Ille enim bona aeque ac mala eadem ratione non sentit; hic autem malorum tantum admittit sensum, sed nihil boni penitus sentit. Nihil illum ex his quae in futura vita serventur, movet, sed ad omnia perstat immobilis; atque ita mortuus est, quemadmodum in cuniculo quemdam obscurum et tenebrosam antrum precipitatus, atque inundatitiam omni plenus, intus et opacis vitiorum sinibus conditus, semperque in tenebris instat mortui degit. » Et inferius in *Moral.*: « Majori nos in dies fastore implemus, cum deliciis magis instamus, corpore nostro instar tui defluente; et dum quispiam hujusmodi satietate distentus, crebris ructibus etiam cerebrum violat, vapores

undique ex corpore terti exhalant, veluti ex fornace quadam calore intrinseco fervescente, ut est sapientum sententia. Quod si et hi qui fornicati sunt, ita indignantur et graviter ferunt, quod pati existimas cerebrum intrinsecum, dum jugiter ejus modi vaporibus qualiter nec evaporare valet? Quid lacunas has, jecur ac lienem? quid ipsa receptacula stercoris? et quod deterius est, latras caute curamus, uti obstruantur ne stercus ad superiora exhalat: ventris autem nostri latrasnas non emundare curamus; verum obstruimus atque oppilamus, et fumo ipso ad superna ascendente, ubi rex ipse sedem habet, cerebrum scilicet, desidemus, nullaque movemur cura. Cur id queso? Nempe, quia ipsam non ut regem honestum ducimus, sed veluti immundum quempiam canem. » Et post nonnulla: « Merito igitur, ait, quae in deliciis est vivens, mortua est; nihil enim vel loqui, vel audire convenienter potest deliciis obsessa anima: efficitur namque mollis, ignava, imbecilla, illiberalis, timida; interdum vero audacia, assentationis, impertitiae plena; indignationis, iracundiae malorumque omnium receptaculum, bonis virtutibusque omnibus destituta. Quae in deliciis, inquit, est vivens, mortua est. »

« Non decent stultum delicias, » *Proverb.* cap. xix, vers. 10, vers. scilicet, celestis et divine, quas Deus habet in dextera sua, *Psal.* i, v, x, et quas promittit sanguine Christi redemptis, *Isaie* li, 3, puta delicias S. Scripturae, Eucharistiae, devotionis, amoris, future beatitudinis, quibus affluet sponsa, *Cantic.* viii, 5; nam in illa, ut ait *Psalm.* v *Psal.* xxxv, vers. 9: « Inebriabuntur ubi ubertate domus tuae, Domine, et torrente voluptatis tuae potabis eos. » Inebriabuntur vere, quia, ut ait S. Augustinus: « Absorbebitur et perdetur mens humana, et fiet divina; quia torrente voluptatis tuae potabis eos. » Mundus hic nos potat calice, imo gutta voluptatis, quae tamen saepe plus aloes quam mellis habet; sed in futuro potabis torrente dolorum. Tu, Domine, nos hic potas gutta doloris, sed in futuro potabis torrente, imo pelago voluptatum, « quoniam aperit te est fons vitae, » scilicet ipse « Deus erit ipsorum Deus; » ipse Deus replens in bonis desiderium animae, erit rationi plentidus lucis, voluntati multitudo pacis, memoriae continuatio aternitatis. Verbo dicam: Deus erit omnia in omnibus, Deus omnes glorie, omnes opum, omnes scientiae, omnes gaudii, omnes deliciarum suarum thesauros in electos amicos suos, imo se totum transfundet, itaque animam gloria et gaudio inebriabit, ut nec illa se capere possit anima et cor nostrum, sed letitia dirumperetur et dissiliret, nisi Deus supra naturam ea fuloret. Cur ergo, infelix homo, per multa creata vagaris, delicias quaeris, et non invenis? ana unum in quo sunt omnia. Si delectat honor, si divitiarum: « Gloria et divitiae in domo ejus; » si pulchritudo: « Fulgebunt justi sicut sol; » si scientia, si libertas, si fortitudo: « Similes erunt angelis Dei; » si

satiatas, si ebrietas: « Satiabimur cum apparuerit gloria tua; » si melodia, ibi cum angelis Sanctus, Sanctus, Sanctus, et perpetuum alleluia canemus; si societas, si amicitia, ibi Sanctorum mira societas et omnium temporum aeterna est longitudo. Et haec omnia in omnes aeternitates, quando mundus, quamdiu infernus, quamdiu angeli, quamdiu Deus erit Deus. O cara aeternitas, aeterna veritas, vera charitas, cara felicitas, Deus meus, amor meus, Deus iustus et omnia! « Quid enim mihi est in caelo, et a te quid volui super terram, Deus cordis mei, et pars mea Deus in aeternum? » O cor humanum, cor indignum, cor erumnas expertum, erumnis obrutum, quomodo non totum tu in hoc uno tuo honore, tua requie, tuo centro defigis, hoc unum omnibus votis et studiis prosequeris?

SCYPHOS ET URCEOS IN MINISTERIO AD VINUM FUNDENDA. — Hebraice est שִׁיפֵי וְרִיעֵי שִׁיפֵי scidda vesaddot, quod a variis variis vertitur: primo, Septuaginta, quos olim secutus fuit S. Hieronymus, vertunt, *ministerium vini et ministras*; Olympiodorus, *proprietates et proprietarias*: « Ut ex vario, propinquantium aspectu, ac alternata mutatione appetitum tibi ad pocula provocaret; vel tanquam valde mollis existens, ac mulierosi hominis ingenium exprimens; » addit Nyssenus: « Iuvenum exornata ad pulchritudinem, aut pueri per ornatum effeminati, aut etiam ipse sexus femininus versans in convivio, benignis invitationibus flammam excitat indecoram; » Neocesarus: « Pocillatores ex utroque sexu delectos et eximios, nec numero quidem complecti possim; » secundo, Syrus, *feci mihi potatores et potatrices*. Sic et Arabicus.

Tertio, Chaldaeus accipit thermas et balnea: *Feci*, inquit, *siphones qui effunderent aquas tepidas, et siphones qui effunderent aquas calidas*. Prisci enim Hebraei, Aegyptii, Syri, Persae, Graeci, Romani, ad nitorem et delicias crebro se lavabant in thermis et balneis, ut patet *Judith* x, 3; *Gen.* xix, 2; *Exod.* ii, 5; *Daniel.* xii, 15; *I Reg.* xi, 2, et ex Brissonio, lib. II *De Regno Persarum*.

Quarto, R. Salomon vertit, *quadrigam et quadrigas, vel plaustrum, et plaustra*.

Quinto, Reuchlinus in *Lexico*: *honorem et magnificentias*, id est res splendidissimas et magnificentissimas.

Sexto, Marinus et Novatores passim: *symphonia et concentum musicum*.

Septimo, Aben-Ezra, Campensis, Vatablus, Pagninus, *mulieres selectissimas et pulcherrimas bello captas*. Huc spectat Hutteri novatoris versio in *Lexico*, qui transfert, *conjugem et liberos*.

Octavo, optime Noster vertit, *scypbos et urceos in ministerio ad vina fundenda*, id est, quibus pincerna, caelerique ministri mense, dum convivis ministrant, vina fundunt, temperant, et ad bibendum porrigunt. Nam et Septuaginta vertunt, *feci mihi ministros vini et ministras*; et Aquila, *feci*

vasculorum diversas species; et Symmachus, *feci mensurarium diversas species et arceos*. Unde S. Hieronymus in *Comm.*: « Sive urceos, sive scypbos, sive crateres, qui in ministeriis ordinantur, auro gemmisque distinctos, Salomonem habuisse credendum est, et quod ex uno cratere aliis minoribus vasculis lauriretur, et per ministrorum manus potandum vinum turba susceperet. » Nimirum a שִׁיפֵי scid, id est mamma, dicitur שִׁיפֵי scidda, id est scypbus et urceus, quod mammae tumens speciem referat, atque vinum, uti mamma lac, propinet. Vinum enim est lac senum. Porro aurei erant, et plurimi Salomonis scypbi et urcei, iique variae formae et figurae, qui a pincernis et juvenibus nobilissimis tanto ordine, decore et elegantia ministrabantur, ut eos cernens regina Saba obstupesceret, *III Reg.* x, 5. Unde S. Hieronymus, in *Tradit. Hebr.*, *Genes.* xl: « Nec vile, ait, putetur officium (pincernae), cum apud reges barbaros usque hodie maxime dignitas sit, regi poculum porrexisse. Poeta quoque de Calamito et Iove scripserunt, quod anasium suum huic officio mancipavit, » puta Ganymedem. Sic Athenæus, lib. X, docet Menelaum filium fuisse pocillatorem. Plura similia exempla refert lib. I; quin et Esdras fuit pincerna Assueri regis, *II Esdræ* i, 11. Sic Romae Cardinalium pocillatores cernimus viros nobiles et honoratos, atque a primariis hoc munus ambiri. Audi de vario poculorum genere S. Ambrosium, lib. *De Elia et Jejun.* cap. xii: « Cernens, ait, poculorum diversorum ordines, aciem ornatalem putes, vasa exposita aurea et argentea (variarunt saepe in materia cornea, lignea, figulina, vitrea, crystallina, murrhina, lapidea, cerea, etc.), pompam arboriter, cornu in medio vino plenum, non epularis, sed preliaris instrumentum buccinae, quod discumbentes in certamen accendat. Primo minoribus poculis, velut vitari pugna praeluditur; ubi res calere coepit, poscent majoribus poculis; tunc deseruntur phialae, tunc maximi crateres quasi instrumenta bellorum, etc., cedunt pincernarum manus vina fundentium (1).

Porro scypbus est vas potiorum notum et celebre in convivis; in scypbis enim aequae ac patris bibuntur vina: σκύφος, ait Athenæus, lib. XI, dicitur quasi σκύβη, a Scythis, quod Scythae eo uterentur praeter ceteris, seseque inebriarent. Urceus, et diminutive urceolus, proprie est vas aquarium, quo vinum in scyphis infusa aqua diluebant. Unde Martialis, lib. IV:

Ille tibi donatur panis ruber urceus ansa:
Stoicus hoc gelidam fonte petebat aquam.

Inde dicitur graece κρατήρ, et latinae cratae, a κρατίζω,

(1) Rosenmullerus, *delicias hominum*, scilicet *momentum et mammae*, sive *mammam* et *mammam* (אֵי מָמוֹת), id est formosissimas quoque mulieres. Sed huic explanationi vocis obstat videtur dagesch forte. Hinc Maurer, *delicias hominum*, scilicet *dominum*, iustam uxorem, et *dominas*, alias uxores, pellicea.

id est miscere, tempero, diluo, cuius prateritum est, κρατίζω; unde κρατήρ, et κρατίζω, id est pocillator, pincerna, qui vinum aqua scite temperat, miscet et diluit.

Mystice S. Hieronymus ex Aquila vertens κρατήρ καὶ μάλα, id est calices magnos et parvos, sive crateres et scypbos, ut scilicet ex majoribus in minore vinum effusum convivis preberetur, haec Christo adaptat, qui velut « Sapientia Patris in cratere misto, *Proverb.* iii, praetereuntes ad se convocat: Corpus dominicum, inquit, crateram magnum debemus accipere, in quo non mera divinitas, ut in caelestibus fuit; sed propter nos humanitate media temperata est, et per Apostolos in minoribus κρατήρ, id est scypbos parvulus in toto orbe creditibus effusa sapientia est. »

9. ET SUPERGRESSUS SUM OPIBUS OMNES, QUI ANTE ME FUERUNT IN JERUSALEM: SAPIENTIA QUOQUE PERSEVERAVIT MECUM. — « Omnes, » tum reges, tum mercatores, tum quoslibet alios licet opulentissimos.

Te opibus non est in Hebraeo, Septuaginta et Syro, sed intelligitur; sed pro opibus delicias et bonorum omnium copiam accipe. Nam Ops opis (unde opes) gentilibus erat filia Coeli ex Vesta, et soror uxorque Saturni, puta Tellus; quam, ut scribit Servius, Graeci Rheam vocant ἀνὰ τὴν γῆν, id est fluere, quod terra rebus omnibus affluit. Hinc Festus: « Ops, inquit, antiqui dicebant, quem nunc opulentum, et testimonio est et contrarium inops. » Et Cicero, *De Senectute*: « Quibus, ait, nihil est opis in ipsis ad bene beataque vivendum, iis omnis gravis est aetas. » Sicut ergo opes sunt auri et argenti, sic sunt et deliciarum, vinorum, scyphorum, urceorum, etc., puta eorum copia et affluentia.

Hebraea ergo ad verbum habent, *magnus evasi et auxi, vel cumulavi*. Quid? Varii varia supplent. Arabicus supplet, *famam et statum*: *Magnificata est*, inquit, *fama mea*, et *auctus est status meus maxime omnium, qui me praecesserunt in Jerusalem*; Symmachus supplet, *magnitudinem*: *Magnitudine*, ait, *superavi omnes*, ut in Hebraeo sit hendiady: *Magnus evasi et auxi vel superavi*, id est *magnitudine superavi*; S. Hieronymus in veteri editione, quam habet in Commentario, supplet *sapientiam*: *Et magnificentus sum*, inquit, et *adjecti sapientiam*; Tigurina, *cumulavi res suaves*; Vatablus, *auxi me ipsum, id est meam dignitatem et magnificentiam*; R. Haccados, *major fui aliorum regum consuetudine, sicut scriptum est*: *Feci mihi thronum eburneum, quod nusquam in altis regibus factum est*.

Verum Noster optime supplet *opes* cum Chaldeo qui vertit, *multiplicavi bona et addidi divitias*; vel, ut vertit Costius, *delicisque diffusis opes congesti cumulatores, quam ante id tempus in Jerusalem habuisti nemo*. De delicias enim et opibus fuit omnis sermo praecedens, atque opes magnitudinem, famam, statum, res suaves, dignitatem et magnificentiam gignunt, ideoque facile com-

plectuntur. Repeit et inculcat id quod dixit versus praecedenti. Alludit ad illud *II Paral.* ix, 22: « Magnificatus est Salomon super omnes reges terrae praedivitis et sapientia. » Nimirum voluit Deus eum ita magnificare, ut in hac magnitudine melius rerum omnium vanitatem experiretur, eamque effaciat aliis representeret et persuaderet, ait Nyssenus. Unde omnes reges superavit, iuxta illud *III Regum* iii, 13: « Ut aeterno fuerit similis tui in regibus, cunctis retro diebus. » Et *II Paral.* i, 12: « Ut nullus in regibus ne ante te, nec post te fuerit similis tui. » Breviter sed nervose S. Laurentius Justinianus, *De Ligno vitae*, cap. iii: « Fal-lax suavitas, ait, in temporalibus labor, infructuosus labor, bona spes, perpetuus timor et periculosa inest jucunditas, cui initium sine prudentia, progressus absque rubore, et finis cum poena. »

SAPIENTIA QUOQUE PERSEVERAVIT MECUM. — Hebraea, *sapientia quoque stetit vel astitit mihi*; alii, *permanitit mecum*; Syrus, *sapientia mea surrexit sibi*; Arabicus, *attamen permanit sapientia mea apud me*; Interpres Olympiodorus, *stabilis mihi fuit*.

Qui putant Salomonem hunc librum scripsisse post lapsam et penitentem, hic laborant, ut sapientiam cum illo in lapsu perseverantem assignent. Igitur primo, aliqui per sapientiam accipiunt humanam et animale, puta solertiam in excogilandis novis voluptatum generibus, et augendis opibus, deliciis, luxu, pompa et gloria, quae est sapientia mundanorum et peccatorum. Ita Nyssenus: « Inveni, inquit, quiddam ad fruendum potest excogitari, et eruditus omni sapientia accessi ad faciendum earum rerum periculum. Itaque et visus opem tui cupiditati, et liberum arbitrium repletum fuit iis quae erant delectabilia. » Et Hugo de S. Victore: « Quae est ista sapientia, ait, quae discursus amat et secretum fastidit? Vide ne forte similitudo fallat te, et non sit sapientia quod sapientia esse videtur, » Et Olympiodorus: « Adeo exaltatus sum, ut in nullo unquam consilio rationeque aberraverim, » q. d. Nullus factus aut piscatus in voluptate scrutanda irritus mihi cecidit. Faveo huic sententiae Chaldaeus qui vertit, *sapientia quoque stetit in me, et ipsa auxiliata est mihi*; vel, ut vertit Costius, *opes congesti, etc. idque acceptum fore sapientiam meam, quae mihi iudicium praestabat*.

Secundo, Bonaventura, Titeimianus et Dionysius respondent sapientiam hic accipi non practicaem, sed speculativam, quam Dionysius informem vocat, id est gratia, charitate et bonis operibus destituta et vacuum: sicut et nunc, inquit, multi theologo et iurista non mediocriter docti, et prompti in alegando Scripturas et documenta Patrum et iura, sunt deestablis vite. Eodem pertinet quod ait Moringus, indicatque Glossa interlinearis, perseverasse sapientiam contemplatione et magnificentiam gignunt, ideoque facile com-

moral. Abutens enim Salomon sapientia, reddidit eam animaliam, secularem, diabolicam, terrenam. Hinc *zaggerat* Salomonis peccatum, et in eju confessione penitentia magis declaratur, quod sciens ac prudens peccaverit, et adeo insigant sapientiam ad ejus auctoris offensam converterit, idque cognoscat et prae se ferat.

Tertio, Thaumaturgus et Alcimus pro *perseveravit*, ex Hebraeo vertunt, *stetit mecum*, illudque contrarie explicant: *stetit*, id est cessavit et imminuta est, *q. d.* Invalescente in me concupiscentia, sapientia in me crescentem stetit, sensinque imminuta est et deeravit; quod enim ulterius non proficit, sed deficit, stare asserimus. Sic IV Reg. IV. 6, dicitur: « Stetit oleum, » id est cessavit, subsidit, deficit. Hinc Patres docent luxuriam Salomonis punitam fuisse privatione sapientiae. Nam et naturaliter voluptates hebetant rationem, mentem et sapientiam. Ita S. Augustinus, lib. III De Doctr. Christ. cap. XXI; S. Ambrosius, Apol. 2 David, cap. VI et VII; S. Gregorius, III part. Pastor. admon. 27, et alii.

Quarto, alii per *sapientiam* accipiunt scientiam rerum naturalium, quam Deus Salomoni aequae ac Ade infudit, quem in utroque post peccatum remansit, ut eandem posteris docerent.

Quinto, Pineda *sapientiam* accipit pro experimento et verissima rerum cognitione, *q. d.* In fruentis voluptatibus assistebat et auxiliabatur mihi sapientia, ut de rebus quarum epiebam experimentum recte censerem, verumque iudicium proferrem.

Sexto et genuine, *sapientia* hic, uti in *Proverbis* caeterisque libris Sapientis, non speculativa, sed practica, accipitur pro prudentia, et sincero de rebus agendis iudicio practico, quod proinde cum recta voluntatis electione, ac virtute conjunctum est, imo illam imperat et producit. Unde Lyranus ait *perseverasse sapientiam* cum Salomone etiam deliciis vacante, donec immoderate iis usus, a mulieribus fuit deceptus, et ad idola abductus. Igitur videtur Salomon hic de se loqui in eo statu, quo voluptatibus quidem indulgebat, sed moderate et honesto fine, scilicet ut indagaret et experiretur quid in singulis esset boni, et num aliqua re animus hominis satuari, conquiescere et beari posset. Nam dum paulo post iis immoderate usus Deum dereliquit, veram sapientiam et sanctitatem perdidit, ac infatuatus est et depravatus, ut est Scriptura, III Reg. XI (1).

Hinc Hebraei pro *perseveravit*, habent *astetit*, *q. d.* In tot deliciis sapientia mihi astetit vel directrix et pedagoga, tum ne iis seducerer meque totum immergerem; tum ut sincere de earum vanitate, alibi que agenda vera felicitate iudicium pro-

(1) Sensus est: Constante sapientiam in mediis oblectamentis retinuit, ut omnia caute et sapienter inspicere possem. Cf. vers. 9.

ferrem. Unde Chaldaeus vertit, *sapientia auxiliata est mihi*.

Idipsum confirmatur ex precedentibus, ubi plane significat se, integra adhuc et incorrupta mente, scrutatum omnia studio vere sapientiae et felicitatis, ut in quo illa sita esset, inveniret. Unde cap. I, vers. 12, ait: « Proposui in animo meo querere et investigare sapienter de omnibus, quae sunt sub sole. » Et vers. 16: « Mens mea contemplata est multa sapienter, et didici. Dedicavi cor meum ut scirem prudentiam, atque doctrinam, erroresque et stultitiam. » Et cap. II, vers. 3: « Cogitavi in corde meo abstrahere a vino carne meam, ut animum meum transferrem ad sapientiam, devitarerque stultitiam, donec viderem quid esset utile filiis hominum. » Quod ergo ibi dixit, idem hic asserit dicendo: « Sapientia quoque perseveravit mecum; » quae omnia significat Salomonem adhuc purum et illibatam haec fecisse studio non cupiditatis, sed experientiae et discipline: quanquam experientia haec illi occasio fuit excessus, intemperantiae et luxuriae, qua per mulieres depravatum est cor ejus: quam ad rem juveni praesumptio sapientiae, quod videlicet videret sapientiam secum perseverare, illique nimis praefidens lapsus non timeret, nec a sapientia et sanctitate se posse excidere crederet. Unde Hugo Victorinus: « Grandis fiducia, ait, ideo sepe peccasti, ideo confidenter effudisti cor tuum in deliciis voluptatis, quia sapientia perseverabat tecum. Quare enim intus positum quaereres, si ipsa foris vagum non reliquit? » Denique qui credat Salomonem jam luxuria et idololatria depravatum, suum hic iudicium de rerum vanitate proferre et conscribere? Quis credat Spiritum Sanctum instrumento tam scelerato usum, haec adeo sancta dietasse? Dicamus ergo Salomonem adhuc rectum, sapientem et sanctum haec experitum esse, sensisse, sapuisse, iudicasse.

Allegorice S. Hieronymus haec exponens de Christo, cujus typus fuit Salomon, ait, non in Salomone, sed in Christo stetit sapientiam, quasi plenam et omnibus suis partibus cumulatam, ut augeri non posset: « Qui profectum habet in sapientia, inquit, non ei stat sapientia; qui autem non recipit profectum, nec per momenta succescit, sed semper in plenitudine est, iste dicere potest: Astet mihi sapientia. »

10. ET OMNIA, quae desideraverunt oculi mei, non negavi eis: nec prohibui cor meum quin omni voluptate fruereetur. — Pro non negavi hebraice est *לֹא אֲסָלְתִּי לָאֵל* lo *atsalti*, id est, non separavi, non servavi apud me; Septuaginta, non abscidi; Arabicus, non abscondi; alii, non segregavi, non eripui, non renovi e conspectu.

Pro *nec prohibui*, alii vertunt, non compescui, non coercui, non refrnavi, non avocavi. Notat spontaneam et incitatum oculorum cordisque ad voluptates inclinationem, impetum et cursum, quem ipse non refrnavi, sed ei plenas laxavit habenas,

intra limites tamen licitos honestatis et legis, ne quid illicitum velintime committeret. Jam

Primo, Chaldaeus per oculos accipit senatores et iudices, quorum questionibus omnibus respondebat Salomon: sic enim habet in versione Complutensium, *omnia quae quaesierunt a me principes et iudices ordinari ad mandandum et ad continentandum, non prohibui ab eis interpretationem verborum; neque prohibui cor meum ab omni gaudio legis, quando tempus mihi vacabat; quantum cor meum exultabat in sapientia, quae data est mihi facie Domini, et ab omnibus filiis hominum; et letatus sum in ea magis quam in omnibus laboribus meis: et haec est pars mea bona, quae parata est mihi, ut pro ea recipiam retributionem perfectam in saeculo venturo ab omnibus laboribus meis.*

Verum hi oculi symbolici sunt. Unde tota Chaldaei versio symbolica est et mystica, non litteralis et genuina.

Secundo, R. Haecados apud Galatinum accipit oculos non corporis, sed mentis et spiritus: intelligentiae, aiti, animi mei, oculis frena laxavi, totumque me dedi vestigationi et contemplationi rerum spiritualium et caelestium, ac in ea miram cordis voluptatum hausi, magisque letatus sum quam in rerum corporearum sensu et gustu. Verum hic sensus pariter spiritualis est et mysticus.

Tertio, ergo genuine ad litteram oculos corporis accipe, *q. d.* Quidquid oculis meis placuit, quidquid eis pulchrum et gratum videbatur, id eis indulsit, nil eis eripui, nil asseravi, sed permisi ut in res juvenas ad libitum plena potestate se effunderent, sequae cupita rerum specie aspiciendo pleno ore et orbe exsatiarent, tamen intra limites honestatis: necdum enim eos transierat Salomon, uti tandem iis nimis indulgendo fecit.

Ait autem desideraverunt, hebraice *שָׁכַחְתִּי* *scachi*, id est postularunt; Symmachus, *ἐπιθυμῶντες*, id est concupierunt, quia oculi sunt concupiscentiae indices et illices. Unde a S. Joanne, *epist. I*, cap. II, vers. 16, vocatur concupiscentia oculorum: quare oculos hic non nudos et solos, sed cum appetitu sensitivo et concupiscentia rerum, quae oculis insidet vel assidet, accipe. Unde explicans subdit: « Nec prohibui cor meum, quin omni voluptate fruereetur. » Per oculos ergo cor quoque, id est appetitum et voluntatem accipe; quia ubi oculus, ibi est cor et amor. Unde illud: « Oculos habentes plenos adulterii, » Il Petri II, 14. Oculi enim sunt in amore duces, quia nullus sensus est cordi mentique vicinior et conjunctior, quam visus et oculus. Unde in ea propria est sedes animi, ait Plinius, lib. XI, cap. XXXVII. Hinc in oculo omnes animi affectus patent et cernuntur, nec ullus sensus eo celerius ac spiritalius operatur, ait Philo, lib. De Special. legibus. Denique summa est sympathia cordis et oculorum. Unde illud vulgo innotum: « Oculi et cor proximum (id est conciliatores et mediatores) peccati. » Et illud

cap. XI, vers. 9: « Ambula in viis cordis tui, et Ratio a priori est, quod oculus a Deo et natura cordi datus sit, quasi lux et dux suarum appetitionum et actionum. Sine oculo enim quasi caecum est cor, nec quidquam visum velle vel appetere potest. Ignoti enim nulla cupido. Sicut ergo homo in tenebris sequitur lucernam praesentem, quae hinc illa ducit, sic cor sequitur oculum et visum. Oculum quia celer, subtilis et versatilis est, quocumque se verit et versat, eodem trahit et cor. Vice versa cor per oculum suos affectus pandit et emittit, atque per oculum velut nuntium alios ad se allicit et invitat. Oculus ergo movet imaginationem, imaginatio movet appetitum sensitivum, hic voluntatem: perinde ac avicula movet puerum, puer movet matrem, mater movet patrem ut aviculum prosequatur et capiat, pueroque tradat. Oculus enim similis est aviculae, imaginatio puerum, appetitus matri, voluntas patri. Audi hanc vagam et versatilem Hugonem Victorinum *hic homi. I*: « Fallaces, inquit, rerum fucos et lubricos captat aspectus: oblata sui foras fundunt, ac tota se curiositati dedens circum omnia, lustrat universa, si qua forte nova, si qua mira occurrant: ad omnes rerum motus semper altera, semper praecipit, procaax, petulans, impatientis et lubrica, quibus more impatientis, expectans videre quid futurum est, et ad omnem rerum vicissitudinem, sive tristes, sive laetae fuerint, inconstanti mentis fluctuatione variatur. »

Moraliter hic discit *primo*, quam noxii sint oculi, si eis habere laxentur; ex adverso quam necessaria sit continentia oculorum, ut mentis integritas servetur. Oculi enim sunt portae et fenestras, per quas objecta bona vel prava in animam ingrediuntur. Hinc per oculos David lapsus est in adulterium cum Bethsaba, et Salomon in amorem 700 concubinarum. Plura haec de re dixi alibi, praesertim *Thren.* cap. III, vers. 31, ad illa: « Oculus meus depradatus est animam meam. » Et *Eccli.* cap. XXV, 28, ad illa: « Ne respicias in mulieris speciem. » Et *Jerem.* cap. IX, 21, ad illa: « Ascendit mors per fenestras. » Quocirca Job, cap. XXXI, 4: « Peperi, inquit, sedus cum oculis meis, » id est, ut S. Chrysostomus legit, *homil. 34 in Matth.*: « Legem postui oculis meis » (*sedus enim hic legem et decretum significat*), « ut ne cogitarem quidem de virgine. » Cogitationis enim origo est oculus et intuitus. Unde *Eccli.* cap. IX: « Virginem, ait, ne conspicias, ne forte scandalizaris in decore illius. » Quocirca Seneca, *De Remediis fortuitorum*, in caecitate constituit castitatem et innocentiam: « Oculos perdidit, inquit, quam multis cupiditatibus via iniecit est? quam multis rebus carebis, quas ne videres vel erundi erant? Non intelligis partem innocentiae esse caecitatem? Huic oculi adulterium monstrant, huic incestum, huic domum quam concu-

Moraliter, de custodia oculi.

Oculi et desideraverunt.

pis-cat, huic urbem et mala omnia. » Certe irritamenta sunt vitiorum ducesque scelerum. Hinc sancti gavisus sunt cecitate, ac nonnulli eam a Deo postularunt et impetrarunt, ut S. Audomarus, S. Aquilinus, Marius Chalcodonensis.

Secundo, quam noxium sit indulgere suis desideriis et alectibus, ex adverso quam salutaris sit eorum mortificatio. Salomon enim indulgens suis desideriis precipitavit se in luxuriam et idololatriam.

Rursus quam periculosum sit velle experiri quicquid est licitum, nec terminos voluptatis sibi statuere, nisi in eo quod illicitum est. Facile enim terminos hosce et confinium liciti et illiciti, utpote exiguum et indivisibile, curiosus transgreditur, itaque in peccatum prolabitur, ut fecit Salomon. Sic qui nil vult cavere, nisi quod est peccatum mortale, venialia multa committit, per que vicinus fit mortalibus, ac tandem in ea corruit, juxta illud: « Qui spernit modica, paulatim decidit. » *Ecl. xix, 1.* Vide ibi dicta. « Vis ergo cavere ab illicitis, tempera a licitis, » ait quidam Sanctorum.

ET OBLECTARE SE IN HIS QUAE PRÆPARAVERAM. — Hebraea, quia cor meum locutus est in omni labore suo; Symmachus, ex omni studio laborum meorum. Nimirum magis oblectantur que labore sunt parva, quam que ex hereditate vel donatione ultra quasi dormientibus obveniunt, tum quia magis propria sunt, tum quia care steterunt, juxta illud *Psal. cxxv, 6*: « Euntes ibant et flebant, mittentes semina sua. Venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos. » Et illud *Psal. cxxvii, 2*: « Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es, et bene tibi erit. » Iline Benjamin carissimus fuit patri Jacob, quia ei fuerat *benoni*, id est filius doloris, moriente in ejus nixu matre, *Genes. xxxv, 18.* Quin et Aristoteles, lib. IX *Ethic.* cap. vii: « Omnibus, ait, sua cariora sunt omnia, que summo labore confecta sunt. » Et Livius, *Decade I, lib. IV*: « Labor, ait, et voluptas dissimilima natura societate quadam conjuncta sunt. » Et alius: « Sicut optimum cibi condimentum est fames, sic optimum virtutis veraque voluptatis obsonium est labor. » Regia est Alphonsi Aragonum regis apud Panormitanum, lib. I *De Gestis ejus*, vox: « Regum cibus est honos, quem dii immortales non otio aut luxu, sed improbis laboribus multisque sudoribus hominibus vendunt. »

ET HANC RATUM SUM PARTEM MEAM, SI UTERER LABORE MEO. — Hebraea et Septuaginta, et haec fuit portio (1) mea ex omni labore meo; Campensis, in mihi molesto conatu meo; alii, in corporis et animi mei defatigatione, assidua sollicitudine, et cura *Ecles. ii, vers. 10 et 11 voluptatis.* Hæc omnia elegantis canis et vulpis apologo, nervosis argumentis prægnanti, graphice representat Cyrillus,

(1) Scilicet gaudium celeriter evanescens.

lib. IV *Apolog. Moral.* cap. iii, cujus titulus: *De Malo deliciarum.* « Sub meridiano astu, inquit, ad canem aperto ore et inquieto pectore sui cordis refrigerium attrahentem, juvenis lupus dicit: O insensate, miser et sponte calamitati subjectus, si tantum tibi placent angustiae! ut quid cum Empedocle Siculo te non projecis in fornacem? Nimirum si delectant tantum contra naturam penalitates, expecta parum, quia in morte cuncta penalia invenies. Ut quid ergo in tantilla vita spreis refrigeriis, ex nunc ardes? Nam tu in nocte ovibus quiescentibus somnum necsis; illis tota die pabulantibus, panem tantum et aquam sumis: nocturno gelu et aestu diurno illis spisso vellere cooperitis ac mutuo se foventibus, tu nuda pelle in aeris tempestate solus degis; illis sine timore jacentibus, tu suspensa palpebra hinc dentem inde unguam in aperto vigilans permissescis. Quenam sunt interdum deliciae tuae, nisi acetosum lac, instestinum fetidum, lectus lapideus, et suavis odor stercoreis ovium? Quid plura? Infelicior es cunctis, et tu tibi mundum jam fecisti infernum. Surge, miser, et relictiis penis quære delicias, ut saltem antequam vitam finias, stillicidio gustate consolationis delibato experientia quid bonum sit agnoscas. » Hisce rationibus lupus persuasit cani vitam otiosam et voluptuariam; unde subdit: « Canis autem hujus valida exhortatione devictus, pro manumissione ad oculos venit et dixit: Dudum servivi vobis, et obsessus undique miseris steli vobiscum. Vadam ergo, ut juxta lupi moniti in deliciis aliquantulum requiescam. Quo audito, illæ gementes dixerunt: Quamquam simpliciores te sumus, tamen sapientia cum simplicibus cavetur (*Proverb. viii, 32*); propter hoc rogamus te, ut antiquas amicas audias, et inimico tuo in æternum non credas; noscis utique quod callidus lupus: quem dente non deiecit, arte ferit: unde quia te rigida vita dudum hostem acerrimum habuit, nunc per hortamenta deliciarum invadit, ut deliciis emollitum inveniat, ac delicate carni inimicum dentem callidius infingat. » Deinde gravia deliciarum damna recensentes: « An nescis, inquit, quod deliciis caro non solum emollitur, sed rigor etiam animæ frangitur, vitiorum ardor acuitur, virtutumque jugum curvatur, rumor passionum cor ipsum ingreditur, et rationis splendor obfuscatur? Nimirum deliciae (*Judic. xvi*) fregerunt Samsonem virum fortissimum, ac (*II Reg. xi, 2*) subverterunt Davidem virum sanctissimum, et (*III Reg. xi*) deeeperunt Salomonem virum sapientissimum. Quidnam mali corporales deliciae non faciunt? foris mollificant cunctos vestimenta, balneis et unguentis; intus vero replent edulibus, condimentis et vinis. Ideo pes timorositate gravatur, calor humiditate obtunditur, et emollitus hinc inde levissime penetratur. » Ex quibus recte concludunt: « Igitur, frater mi, si deliciae quaeris, perniciosi diligis, et in dulci flumine lethaliter vis submergi. Venenum in saccharo ap-

Apolo.
gra deli-
ciarum

Pars
quæ
signat
cat.
Primo

petis, et in æternas angustias risu et canticis vis deduci. Crede nobis, crede, et in hujus vite deliciis omne malum latitare agnosce. Rigor enim tamen est valetudo virtutis. Quo audito, canis placatus cum ovibus quievit. »

Pars quinque significat. Primo, pars est portio totius, totum enim dividitur in suas partes. Unde *חלק chalc.* est pars, dicitur *חלק chalc.* id est partior, divido, quod totum in suas partes partiendo dividatur. Alii pars a pari derivant, quod partes simul junctæ æquales sint toti. Alii a pario, quod pars parum quiddam sit respectu totius.

Secundo, pars est sors cuique obveniens. Ex toto enim sortium, conditionum et rerum genere, toti hominum generi a Deo attributo, cuique ab eodem sua assignatur pars et sors.

Tertio, pars et hereditas sive portio hereditaria; tota enim hereditas paterna in fratres heredes dividitur, quorum cuique sua cedit pars, juxta illud *Psal. xv, 5*: « Dominus pars hereditatis mee et calceis mei. »

Quarto, pars est fructus, ut verit Campensis, merces, lucrum cuique ex opere vel labore proveniens. Unde aliqui pars derivant a pario sive parva, quod pars a labore deducta et quasi parva sit.

Quinto, pars cuiusque est id quod illi est charissimum, puta bonum, quod ille præ ceteris adamat, sibi seligit et ambit. Sic Christus minatur Petro: « Si non laveris te, non habebis partem mecum » in regno celorum, *Jou. xii, 8*; et Psaltes: « Deus cordis mei, et pars mea Deus in æternum, » *Psal. lxxvii, 20.*

Hic omnibus hisce modis accipi potest, sed magis secundo et quarto, et maxime quinto: Salomon enim suam sortem et sui laboris fructum assignat, hunc scilicet, quod fruatur labore suo partem, tanquam parte, id est fructu laborum suorum, summe a se adamato. Sensus ergo est, q. d. Hanc partem, id est sortem fortunatam, hunc fructum, hoc summum meum in hac vita bonum, hanc felicitatem meam esse censeo, si uterer labore meo, id est opibus et deliciis, quas labore meo acquisieram. Ubi nota vanitatem hujus partis, tum quod pars esset gaudii, non totum gaudium, ac proinde cum non satiaret, ideoque ex unius rei voluptate in aliam et aliam sine fine dilaberetur, satiem quaerens et non inveniens, eo quod illum non sit reperire nisi in Deo et celo, juxta illud: « Satiabor cum apparuerit gloria tua, » *1. Psal. xvi, 15*; tum quod pars hæc parum ei lætitiæ dederit, quæ scilicet laborem non excederet, sed ei commensa esset: quantum enim laboraverit, tantum labore suo delicias est sine ullo lucræ auctario, imo cum damno, cum ex adverso Deus pro unia laboris rependat talenta gaudiorum, juxta illud: « Qui reliquerit partem, etc., et secutus fuerit me, centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit, » *Math. xix.*

Mystice, Chaldaeus hæc accipit de felicitate æterna: « Et hæc ipsa, inquit, fuit pars mea bona, quæ statuta ad accipiendum super eam premium perfectum in seculo venturo ex omni labore meo. » S. Hieronymus: « Oculi anime, ait, et mentis intuitus contemplationem desiderant spiritalium, quam peccator ignorans prohibet a vera jucunditate cor suum. Huic se ergo Ecclesiastes totum dedit, et leves tribulationes in seculo æterna gloria compensavit. Hæc enim portio nostra est, premiumque perpetuum, si hæc pro virtutibus laboremus. »

11. CUMQUE ME CONVERTISSEM AD UNIVERSA OPERA, QUAE PRÆCERANT MANUS MEÆ, ET AD LABORES, IN QUIBUS FRUSTRÀ SUDAVERAM, VIDI IN OMNIBUS VANITATEM ET AFFLITIONEM ANIMI, ET NIHIL PERMANERE SUB SOLE. — Sensus clarus est, q. d. Cum reflexissem animum ad considerandum fructum operum et laborum meorum, puta hortorum, palatorum, piscinarum, servorum, rhedarum, thesaurorum, auri, argenti, etc., vidi me labores meos frustra impendisse, eo quod in omnibus illis animi quietem, et felicitatem quam quaerebam, non invenierim, sed vanitatem et afflictionem spiritus: nihil enim diu permanet sub sole, sed omnia sensum intereunt et evanescent, itaque herum inanem relinquunt, imo afflictum, eo quod suis, que tanto labore paravit, privetur. Vide dicta vers. 1, et cap. i, vers. 2. Vide Seneca, *De Vita beata*, cap. xiv: « Ut feras, inquit, cum labore et periculo venarum, et captarum quoque laborum sollicita possessio est; sæpe enim laniant dominum: ita habentes magnas voluptates in magnum malum evasere. » Vide eundem toto libro *De Brevitate vite*. Ita Auctor *Catenæ Græcæ*: « Nam ejusmodi omnium, inquit, unus finis est, vanitas, cujus quod supersit nihil in posterum reperitur. Nam simul atque operatio cessat, voluptus abraditur, nec aliquid in crastinum recondit, transactaque voluptatis operatione, ne vestigium quidem lætitiæ, aut voluptatis reliquie his supersant, quia voluptati vacabant. » Nazianzenus in laudem Cæsarii: « Vidi quod hoc quoque esset vanitas. Omnia vidi, ait Ecclesiastes, humana omnia cogitatione peragravi, opes, delicias, potentiam, instabilem gloriam, sapientiam quæ magis suffigit quam tenetur, delicias iterum, sapientiam iterum, eadem sæpius revolvens, ventris voluptates, hortorum, famulorum greges, possessionum copiam, pincernas utriusque sexus, cantores et cantatrices, arma, satellites, gentes ad genus procumbentes, collecta tributa, regni supercilium, omnia denique tam ad vite usum necessaria quam superflua. Et quid post hæc omnia? Omnia vanitas, vanitas vanitatum et presumptio spiritus, hoc est consideratus quidam animi impetus et distractio hominis, ob veterem fortasse lapsam hæc poena mulcatus. »

ET NIHIL PERMANERE SUB SOLE. — Hebraice, et non est: *חלקי ארון* citron, id est residuum, reliquum.

Labores
me
pro-
tionem
eur?

Delicia-
rum
maxima

remansens. S. Hieronymus in *Comment. verit. et non est abundantia sub sole*; idque mystice sic explicat: « Christus in sole posuit tabernaculum suum, itaque qui nocturnam ad solis claritatem ordinem constantiamque pervenit, in hoc Christus deo habitare poterit, nec abundare. » De Hebræo *Itiron* plura dixi cap. i, vers. 3. Præclare S. Augustinus, lib. XX de *Civitate Dei*, cap. III: « In hac panitate, ait, qui quantum satis visum est intinamulo, totum istum librum vir sapientissimus deputavit, non utique ob aliud, nisi ut eam vitam desideremus, quæ vanitatem non habet sub hoc sole, sed veritatem sub illo qui fecit hunc solem. »

12. TRANSIVI AD CONTEMPLANDAM SAPIENTIAM, ERRORESQUE ET STULTITIAM: QUID EST, INQUAM, HOMO UT SEQUI POSSIT REGEM FACTOREM SUUM? — Est parenthesis: enim transitivi ad contemplandam sapientiam pendet ab his que post parenthesis sequuntur, ibique ejus nexus et sententia explentur. Ita re melius considerata veritatis S. Hieronymus; nam primo verterat, quia quis est hominum, qui possit ire post regem ante factorem suum? Dicit ergo se contemplandum sapientiam, ut eam sequeretur, et stultitiam, ut eam caveret; ac deprehendisse quod tantum sapientia precellat stultitiam, quantum lux tenebris: si tamen eadem cum Dei sapientia comparatur, exiguum et inane esse (1).

Pro transitivi hebraice est *יָרַד בְּרֵיזֵי* penitus, id est faciem converti, respexi. Hæc vox notat tadium voluptatum, et animum Salomonis fluctuantem ac veritatis avidum, q. d. Post expertam opum, deliciarum, rerumque corporalium vanitatem, ex desiderio et studio inventeandæ quietis et felicitatis, iterum converti animum ad intermissam sapientiam vellitationem, iterum tentaturus, an in ea quietem et felicitatem adeo optatam reperiret: ipsa enim mihi videbatur melior, dignior, celestior, rebus omnibus corporeis; sed illico in ea quoque exultatione et vanitate deprehendens, per abruptum et patheticum epiphonema exclamo: « Quid est, inquam, homo, ut sequi possit regem factorem suum? » q. d. Quid est non tantum in opibus, deliciis omnique magnificentia, sed et in sapientia humana Deo æquandum, aut præ Deo non vanum, exile, mancum et defectuosum? Qua ratione enim homo miser, ignorans et cæcus possit sequi, nedum assequi Deum creatorem suum, sua sapientia omnia que sunt vel esse possunt, lustrantem et comprehendentem?

(1) Loci hujus non satis est perspicuus sensus et nexus. Rosenmullerus, ego converti me iterum ad videndum, ad penitus considerandum atque inter se conferendum sapientiam, insaniam, scilicet vitæ voluptates, de quibus supra, et stultitiam, ut, his collatis, intelligerem quodnam verum plus afferat evolumentum. Sequitur parenthesis: Quid enim est homo, privatus scilicet, qui, id est ut veritas experiri queat, et probare tandem quod bonum sit? Et quod jam percipit, scilicet faciet, id est, nihil nisi poterit edificare, quod alii non fecerint, ac proinde quod ego non testantur. Pro assuetio Vulgatus legit *oseku*.

Et, ut ait Glossa interlinearis: Quomodo homo imitari queat Deum in comprehensione sapientie? Ita S. Hieronymus: « Dicit, inquit, se post delicias voluptatesque damnatas revertisse ad sapientiam perquirendam, in qua plus erroris stultitiæ reperit quam veræ veritatis prudentiæ; non enim puto posse hominem tam liquido quam scire sapientiam creatoris et regis sui, quam scit ille, qui conditor est. Itaque illa que novimus, opinari nos potius quam tenere, et æstimare magis quam scire quod verum est. » Sic et Hugo Victorinus, Olympiodorus, S. Bonaventura, Cajetanus, Lyranus, Arboreus et alii. Rursus hæc parenthesis refert apposite et genuine ad errores et stultitiam, q. d. Errores et stultitiam adjoined sapientie: quia quis hominum est ita sapiens et circumspexerit, ut instar Dei fixus maneat jugiter in sapientia, nec aliquando declinet in aliquem errorem et stultitiam, ut aliquid imprudenter, ignoranter et insipienter cogitet, dicat et agat? Sane nemo.

Porro cum triplex sit sapientia Dei, prima secularis; secunda practica sive artificialis, qua res omnes creat, format, servat, gubernat, perficit; tertia activa, sive moralis et ethica, qua omnes suas actiones, tum internas, tum externas prudenter, juste et sancte juxta dictam rectam rationis et legis æternæ exerceat; in nulla harum homo Deum imitari et proxime sequi prævalet, sed ab illo in infinitum transcenditur et distat. Primo enim sapientia Dei speculativa in infinitum omnem hominis scientiam et sapientiam superat et transcendit, quia Deo immenso est commensata. Secundo, idem facit sapientia Dei practica, quis enim creet, format et faciat ea que facit Deus? imo quis ea, que creat et facit Deus, modumque ea creandi et faciendi, scrutari et penetrare valeat? Quid habent horti, domus, piscinæ a Salomone fabricata, ad cælum, solem, stellas, terram, mare, etc., a Deo creata? præsertim quia Christus Ilium unum ultra nascens, comparans cum aureis et gemmeis Salomonis vestibus, dicit: « Quoniam nec Salomon in omni gloria sua operatus est sicut unum ex istis, » Matth. vi, 29. Quis pervestigat arcanæ Dei consilia et decreta, cur hic sit dives, ille pauper, hic rex, ille plebeus, hic sapiens, ille insipiens; ac presertim cur hic sit fidelis, ille infidelis, hic sanctus, ille impius, hic prædestinatus, ille reprobus? Omnes utique cum Apostolo exclamare debemus: « O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei! quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus! » Rom. xi. Tertio, sapientiam Dei ethicam quis imitetur? quis enim sequatur, imo mente intelligat et comprehendat, quanta sit Dei bonitas, justitia, patientia, magnificentia, sanctitas? Quis comprehendat charitatem Dei, quam exhibuit nobis per Christum in ejus incarnatione, prædicatione, passione, Eucharistia, totaque ejus œconomia? Quantula est nostra, qui terræ vermi-

euli sumus, humilitas, si comparatur cum humilitate Christi? « Qui cum in forma Dei esset, semetipsum exhaurivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo, » Philipp. ii. Quantula est nostra obedientia, si confertur cum obedientia Christi, qui cum esset Rex gloriæ, Patri suo « factus est obediens usque ad mortem, mortem autem crucis? » Quantula nostra patientia, si supputetur cum patientia Christi, qui atrocissimos dolores, summa opprobria, extremam pauperlatem, denique omnis generis tormenta in cruce passus est divina patientia, mansuetudine et constantia? Idem cogita de cæteris omnibus Sanctorum virtutibus, que Christi virtutibus collatæ, non aliud sunt, quam quod umbra ad corpus, quod vanitas ad veritatem, quod gutta ad mare, quod punctum ad cælum, quod granum arena ad totum universum. Ille genuinus est sensus Vulgatæ versionis, cujus auctor S. Hieronymus in Hebræo legit *oseku*, id est factorem suum, vel *asahu*, id est fecit illum. Pro quo *oseku* aliis punctis legunt, *oseku asahu*, id est æcerant illum vel illum. Igitur S. Hieronymus sic ad verbum ex Hebræo transferendum censuit: « Quid est homo ut sequi possit regem, quem jam fecit illum; quem (scilicet hominem) fecit rex, » hoc est, cujus factor est Deus. Unde secundo, in Vulgata clarius veritatis factorem suum; et enim *illam* ex pleonasmato Hebræo, redundat: Hebræi enim pronominum relativo adjunctum demonstrativum, ad expressiorem rei sive subjecti demonstrationem, ut « cujus semen ejus in ipso, » pro quo Latini dicunt, « cujus semen in semetipso, » Genes. i, 11.

Huc facit explicatio R. Haccados, que talis est: Quis est tam perfectus tamque numeris omnibus absolutus, qui pari cum divina lege per omnia Dei præcepta passu contendere valeat? Et aliorum, qui sic explicat, q. d. Quis hominum est, qui cum Deo conditore suo pari de felicitate gressu certare, ejusque tranquille vitæ beatitudinem sibi arrogare audeat, cum ne quidem opera illius imitari queat, nec creaturas illius etiam abjectiores elegantia, effloccitate cæterisque dotibus assequi et æquare? Unde Campensis paraphrastica sic vertit: « Iterum me converti ad ea, ut saltem viderem quanta sapientia usus essem in omnibus illis, et deprehendi in vino insaniam multam, et in reliquis manifestam stultitiam. Quid enim est homo, ut imitatione regis Dei aliquid magnum conetur, cum nullam quantumvis parvam ex omnibus rebus, quas ille innumeris fecit, æquare possit? »

Ex dictis liquet perperam Lyrano et Dionysium censere, Salomonem hæc dicere ex sententia Epicureorum et Simonidis, qui teste Aristotele, *Ethic. lib. X*, docuit hominem corpore constantem corporalia tantum debere sectari, nec ad spiritualia assurgere. Insolens enim hoc loco, et dura est personarum mutatio; antecedentia enim et re-

quentia dicant, omnia hæc ex una et eadem Salomonis persona manenteque dici.

Melius Thielmannus hæc parenthesis refert ad magnifica opera Salomonis, de quibus supra processit, q. d. Ideo a meis hisce operibus transi ad contemplandam sapientiam, qui in illis nulla ratione possum amulari Dei magnificentiam, possum autem imitari Dei sapientiam. Quid enim, inquit, erant illa, licet tam magnifica Salomonis ædificia, domus saltus Libani, et regia ejus habitatio, si ad cæli structuram conferantur? Quid idem templum illud tam celebre, tam admirabile omnibus, si ad templum Dei non manufactum conferas? Quid horti illi manu consiti et plantati, si cum universa terra verbo Domini pulchre germinante, quasi latissimo et amoenissimo viridario uno comparantur? Ita et in cæteris omnibus. Perfecto nihil erat Salomon, quamvis tantus in omni gloria sua, ut regem factorem suum sequi posset. Atque juxta hæc enarrationem redarguit hic Salomon, et irridet semetipsum, quem modicum solum interdum non ipsos irridere, pro inseniis præteriti temporis, quod ea olim maxime fecerimus, que nunc æstimamus minimi.

Huc accedit Isidorus Clarus qui veritatis, quid est homo, ut sequi possit regem in his que fecit? id est qui imitatione regis aliquid magnum conetur, cum nullam quantumvis parvam ex omnibus rebus, quas ille innumeris et maximas fecit, æquare possit.

Hæc de versione Vulgata. Alii enim distinguunt regem a factore, sive Deo, aliter que vertunt: Unde.

Secundo, Syrus sic reddit, et prospexit ego ad videndam sapientiam, transgressionem et stultitiam. Nam quis est ille vir, qui invidietur post regem in iudicium? dein cum illo qui fecit ipsum? Ubi per regem scilicet Salomonem, per factorem vero Deum, q. d. Perspexit exitum esse hominum sapientiam. Quis enim eorum est, qui in sapientia moeum, qui rex sapientissimus a Deo constitutus sum, certare aut iudicio contendere valeat? Qua ratione ergo contendat cum Deo ipso? Alii hæc referunt ad penitentiam Salomonis, quasi suo exemplo ad eandem hortetur subditos, quos in scandalo induxerat ad idololatriam, quasi dicat: Perspexit sapientiam sitam esse in Deo fide et cultu, perspexit et insipientiam sitam in perfidia et idololatria. Qui ergo secuti estis me desipientem et idola colentem, sequimini nunc respicientem et Deo adhaerentem. At quis hoc faciet? Pauci utique, quia omnes prioriter sunt ad malum quam ad bonum, pronitis sequuntur prava quam sancta regum exempla. Ita Thaumaturgus, Olympiodorus, S. Hieronymus et Albinus. Audi Thaumaturgum: « Tandem expegefectus ab oculis restitutus, ea que in manibus Nababab, flagitiosa simul acerbissimisque plena esse perspexi, spiritusque non boni officia. Proinde collectis et sapientiæ bonis et stultitiæ malis, magna hunc